



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

3. Carbones Iudicis seueri Ianae Vellera Patris benigni sunt Symbola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

offendere, Calcatis igitur in anima, ut palustri solo, per Timorem Domini, Carbonibus gehennæ, soliditas obtinetur: nam Carbones isti absument paludis immundæ humorem omnem: hoc enim habet gehennæ Timor, ut observat Climacus gradu ultimo. Sic ergo in anima aptatur ad Fidei fundamentum locandum locus.

ARTICVLVS III.

CARBONES JUDICIS SEVERI,

Lana vellera Patris benigni sunt symbola.

VERUM, Carbonibus istis, ex Architecturæ sacræ præscripto, conjungēda sunt Lanæ vellera, quibus magis magisque firmatur animæ solum: id est, ut clarissime dicam, Timori copulanda est Misericordiæ divinæ, per Christum Salvatorem, Fiducia, sine qua minus esset firma substructionis moles. Hoc est, quod docuit Tridentina Synodus, eo loco, in quo egit de Fundamento, quod indirectè, quia dispositivè ad Ædificium spirituale requiritur, id est, de præparationibus ad sanctificationem peccatoris. Postquam enim dixisset: peccatores à Justitiæ divino Timore utiliter concuti, addidit, eosdem tunc ad Misericordiam DEI considerandam se convertendo in spem erigi, fidentes, DEUM sibi propter Christum, propitium fore, sicque paulatim ad justitiam & sanctitatem, perfectam perducere, Sessione VI. cap. 6. Bene autem per *Vellus Lana*, Misericordia, mansuetudo, & longanimitas DEI Opt. Parentis significantur. Est enim *Vellus* ab animalium mansuetissimo, ipsoque Misericordiæ symbolo, Ovicula resectum. Immo,

in Litteris divinis, per Vellus exprimitur *ἡ μαλὰ*, mansuetudo, seu longanimitas. Sic Psalmo LXXXIX. 10. ubi ex LXX. legitur: *Quoniam supervenit mansueto*, in Hebræo legi potest *gez gez*, quæ vox alibi (a) per *Vellus* redditur. Hoc *Lana vellus*, id est, *DEI* Misericordia, si cum Carbonibus, id est, iudiciorum divinorum Timore prematur, & & calcerur in corde, omnem illecebrarum humorem ex paludosa illa tellure exprimit, solumque ejus ad sustinendum virtutum palatium stabiliet.

(a) Deut. XVIII. 4. Job XXXII. 20. Serarius Judic. VI. q. 24. nu. 6.

ARTICULUS IV.

CHRISTUS JESUS

*Cui Lana Vellus, Edificio spirituali virtutum
supponendus.*

MELIUS fortasse fecero, si *Lana Vellus* fundamento Domus spiritualis substernendum, dicam esse illum, sine quo nulla inchoatur, sive in terris sive in cælis, Palatii moralis, mystici, divini, ædificatio, quodque omnibus supponi debet, ut firmitatem assequantur. Is est CHRISTUS JESUS, viuum virtutum omnium Fundamentum, ac unice solidissimum. An non enim in Christum Charismata Divini Spiritus, sicut *Pluvia* in *Vellus* descendere? *Quid VELLUS Gedeonis significat*, inquit suavissimus Bernardus, Sermone 2. super Missas. *quod utique de carne tonsam, sed sine vulnere carnis, nisi Carnem adsumptam de Carne Virginis absque detrimento Virginitatis. Cui utique distillantibus cælis, tota se infudit plenitudo Divinitatis. Si Christus est Agnus DEI innocens & immaculatus,*